

Syntagma historicum passionis
DN. nostri

IESV CHRISTI
POETICIS NUME-
RIS INCLVSVM

à

M. HERMANNO SAMSONIO
Pastore & Seminarij patrij Insp:

Hæc quicunq; DEO nomen Christoq; dedisti
Perlege, & aspicias mortali corpore Christus
Qualia pertulerit nostrâ pro labe piandâ.



ANNO 1613.

Ad. Geyman
1709

Rigæ Livonum, Typis Nicolai Mollini.

71



MAGNIFICIS AM-

PLISSIMIS DOCTISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS VIRIS CON-

sularibus & Senatoribus celeberrimæ Urbis

RE VALIÆ, Dominis meis omni

observantiâ colendis salutem

plurimam.



RAVISSIME Gregorius Ho-
mil: 15. super 18. cap. Matth: tradit:
Sicut de ejus vita, inquit, despera-
tur, qui languente stomacho ali-
menta non retinet: sic æternæ mor-
tis periculum formidare debet, qui

verba vitæ & alimenta animæ in memoria non tenet.

Gravissima sanè sententia: qua si in ullo articulo Chri-
stiana nostra religionis vero consentanea est, certè in
hoc, ubi profitemur. Credo in Christum IESVM
Dominum nostrum, passum sub Pontio Pilato, cruci-
fixum, mortuum & sepultum. Nunquam enim ejus

articuli oblitio mentem nostram subire debet, nisi in
æternæ mortis discrimen nos vocare velimus. Christus
cruce[m] portavit non sibi, sed nobis transgresso-
ribus

ribus per legem debitam ait Cyrillus lib. 12. in Iob: cap:
12. Hinc electum Dei organon Paulus Apostolus I. Co-
rinth: 2. Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi
IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum.

Nullus certè gravior cultus Deo ter Opt: Maximo
prestari potest: quam ut cum purâ mente invocemus,
& pro cumulatis ejus in nos beneficiis gratias de-
pendamus. At qui potes de votè orare, & sacrificium
laudis Deo offerre, nisi passionem Christi mente repetas?
Unde rectè Melanchthon:

Nulla est grata DEO nisi Christus filius ara,

Qui luit officio crimina nostra suo.

Huic impone manus, huic toto incumbito corde,

Ad Patrem nostras perferet ille preces.

Quæcum ita sint, utiq; passio Dn. nostri IESU
CHRISTI nunquam satis hominibus inculcari po-
test. Quia itaq; multi Poëta inventi sunt, qui Psalte-
rium Davidis carmine reddiderunt: vix unum verò
atq; alterum sciam, qui integram passionis Christi histo-
riam poëticis numeris incluserit: Volui horis succisiviis
hunc in me laborem derivare, tum ut hac ratione histo-
ria hac consolationis plena facilius in animis juven-
tis influeret, & irreperet: tum vel maxime, ut juvenus
nostra & vestra scholastica haberet, quod meditaretur
& imitaretur.

A 2

Eum

LATVIAS PSR ZINĀTNU
FUNDAMENTĀLĀ
dib. 1524
BIBLIOTĒKA
R

ZA FB
R 3496

KAMOC

Eum itaq; laborem vestris Magnificis & Amplif-
simis Dignitatibus offerre & inscribere volui, causis
inductus non contemnendis. Aliqui enim è Senatu
vestro hæcenus sæpè salutem mihi denunciarunt, & pro-
lixa benevolentia officia obtulerunt. Inter quos Ma-
gnificam tuam Dominationem Domine Iohannes De-
renthal I. U. Doctor, Consul ibidem & Syndice dignif-
sime, qui mecum olim in celeberrimâ Witebergensium
Academiâ operam bonis studiis indefessam navasti: ut
& te honoratissime & Consultissime Iodoce Dunten
honoris & virtutis causâ nomino, qui filium tuum le-
ctissimi ingenii puerum nostra institutioni & cura com-
misisti.

Præterea Reverendi & Doctissimi celestis veri-
tatis apud vos præcones, Dn. Franciscus Illyricus b. m.
& Dn. M. Iohannes Knopius literis suis ad intimam
amicitiam & fraternitatem me provocarunt, & omnia
humanitatis officia prolixè detulerunt. Atq; his merito
adjungo Doctissimum Virum Dn. M. Iohannem
Temnium olim meum in Academiis Commensalem, &
Amicum summum, nunc verò Scholæ vestræ Rectorem
ut & literatissimum Virum Dn. M. Ericum von Bes-
sen, qui nuper Rigâ ad vos transit.

Ut igitur vobis omnibus & singulis constaret, me
toto animi affectu in vos & vestros inclinare, & hoc
publicè etiam testatum esse velle; ideò hoc meum Car-
men

men vestris Magnificis Dominationibus dedicare vo-
lui. Accipite ergo hoc levidense munus, atq; id non ex
sui pondere, sed ex affectu offerentis aestimate.

Deus Opt: Max: Remp: vestram ex his bellorum
fluctibus clementer expediat, ut vel tandem restoret,
& pristinum nitorem induat. Vestras autem Digni-
tates divina protectioni ex animo commendo, de votis
gemitibus Deo supplicans, ut vitam vobis cum sanitate
corporis longam, honorem cum stabilimento virtutis fir-
mum, fortunam cum affluentia rerum optimarum pro-
speram: finem deniq; cum salute mentis beatissimum be-
nignè concedat, semperq; conservet & tueatur.
Dabam Rigâ 13. Marti: Anno 1613.

V. Magnific: Dignitat:
Studiofissimus.

M. Hermannus Samsonius.



E Deus alme canam, vario famulantia mūdo
Fœdera, & æthereis nascentia signa manipulis
Cui subsunt, donec fragilis me ergastula carnis
Cœca morabuntur, reget hos & spiritus artus.
Nam cur Mœonio simulacra furentia Martis
Alite decantem, sævæq; incendia flammæ
Spurca, Bionæoq; feram vaga pagnia focco?
Cum nos dia monere tuæ pellacia famæ
Debeat, anniso rationis agone sagacis
Huc ut spectemus, quò mota loquacibus alis
Ipsa volet latè per cunctas didita gentes;
Immò deq; tuæ bonitatis manet abyfso
Nectareà, ne quis carmen triviale monerà
Communi feriat, verbis prægnantibus implens
Chartas, luxuriansq; ampullis grandibus intus.
Arida tu ingenii liquidi lætamine succi
Arva rigas, glebas delimas atq; pigrantes.
Tu nos exlinuas tenebris, spargisq; ridentis
Fomitem in ingenii radiantia tela nitelæ
Divinæ, rorescentis melligine Suadæ.
Ergo DEVS magne omnigenum meta ultima rerum
Huc adsis, ut in hoc etiam jucunda labore
Auxilia ætherei videam expertarq; vigoris.
Atq; tui Nati miseranda volumina tortis
Promam, quam mundi multâ pro labepiandi
Sustinuit vero pietatis adustus amore:
Vera feram, miranda canam, memoranda revolvam.

Cyn-

*Cynthius æthereos percurrrens axe meatus
Quadrijugo, populis retulit solennia pascha.
Mellito sudat tunc tales ore loquelas
Jesus: congenito scitis rationis agone,
Quando fatigatis soboles Latonia mannis
Esseda bis presso nutantia pondere in undas
Flexerit Hesperias ~~Æstivæ~~ festa recurrent
Enthea, Iudæa sanctè recolenda per orbem.
Tunc me vestitum mortalis tegmine carnis
Basilii incestu picta & farragine glossæ
Prodent, expansus ligno ut suffigar atroci,
Dispersens calum dubio libramine terris.*

*Interea proceres mitrataq; agmina gentis,
Quorum & canicies vultus setosa revinxit
De populo, Caipha pratoria vasta dynasta
Intrarunt, nunc huc nunc illuc lumina mentis
Versantes: possent quei di vexare plicatu
Verborum arguto, spinoso & lemmate Iesum,
Turpiter & victum manes demittere ad imos,
Horrenda necis ut tristi afflaretur ab aura.*

*Interea qui vis curarum carpitur asini,
Invisi vulgus caput extriabile belli
Impete ne excitum per festa sacrata furenti
Prorueret variè, mentes quatiente feroces
Bellonà, gladiis truculentaq; bella moveret.
Qualiter innumera diùm lapsa montibus altis*

Vnde

Unda precipiti subjectas agmine valles
Consternunt, dubius hucq; illuc flexibus errant.
Cuncta madent lymphis, faciesq; est una per orbem.

Ergo Bethania degente in mœnibus urbis
Iesu, cumq; Simone tenente habitacula sorte,
Rustica vulgari, quem grassabunda per artus
Lepra acies fœdo penetraverat agmine serua,
Expilans cecas pigro marcere lacunas.

En mulier reclusa gerens narthecia venit
Ad Christum, caput hoc ejusq; liquore rigavit.
Discipuli hoc facto (nebulis perstrinxerat atris
Quos inscitia) ventosos sub pectore motus
Curarum volvant reslino, taliq; canore
Affati Iesum crepitacula inania strident.

Quid vetat hanc lympham communes vertere in usus,
Et dare, quos humili sors conditione coarctat?

Iesus at intuitus crudis precordia curis
Dedita mystarum, mellitos ore fluores
Reddidit æquanimò & miti, sic farier orsus.
Nemo verborum stridoribus impetat illam,
Præmia quæ cælo referet labentibus annis.

Namq; perennabunt vobiscum vivere, quorum
Sors angusta domi miseris conatibus obstat.

Atq; his largistua prodesse juvamine dextra
Concessum vobis: sed me perniciousis alis
Fati vis arcana poli per climata celsi

Ause-

Auferet, expertum sortis fatalia iniquæ
Spicula: nam mulier pietatis percita thyrsos
Ist hac prævertit morituras ungere carnes,
Quam tumularentur positi sub pondere cippi.
Sensibus hac imis, res est non parva reponat
Quisq; ubi per totum mundi sacrosancta theatrum
Dogmata tradentur, famella fama vigebit
Hujus in æternum, nullam subitura ruinam.
Audiet hoc si quem tellus extrema refuso
Sub moveat Oceano, si quem plaga disita cæli,
Si quem sub calo cæcis ambagibus actum
Detinet Orcini sursum penetrabile Monarchæ.

His actis, Satanas quo non immanior alter
Lernæis Iudæ furiabat pectora telis
Turbida, subjiciens vigilace tyrannide mille
Terribiles scelerum facies, atq; ausa nefanda.
Qualiter Eumenides per cæca palatia Ditis
Nunc huc nunc illuc sanctorum conscia torquent
Pectora, terrificamq; illis crepitante phrenesin
Incutiunt virgâ, rabie fera pectora gliscunt.

Ergo abiens cœpit niti fallacibus umbris,
Suppurato animo Sardonia gaudia volvens,
Irrequietisq; huc illuc insultibus actus,
Ut compellaret consutis undiq; verbis,
Qui possessa tenent sacra fastigia sortis,
Atq; ait: albentis sitis importuna moneta

B

Cor

Cor pectusq; meum maléfano perculit æstro.
Portio si trita dabitur mihi parva moneta,
Invisi vobis presentia corpora IESU
Sistam: quæis dictis salienti pectore motus
Concipiant ipsi celeres, animusq; triumphant.
Sicut mobilibus perlustrans passibus orbem
Hospes, dum magnam per amictos gramine campos
Fortè auris aperit vim, delitiosa sub imo
Gaudia corde fovet, resonat concentibus æther.

Unanimes hinc studio per fasq; nefasq; monetam
Exiguam curant, debellant ariete Iuda
Corda isthoc facili, coguntq; efferre sub auras
Omnia, mulcentq; illius præcordia palpo
Versuto: ò nulli pietatis Iuda secunde
Elogio, & nostri palmaria portio cordis.
Fare age præsidio miracula talia cuius
Expediat IESUS, regat illum quæq; potestas?
Plausibilis nostra reddatur ut actio causa.
Lymphatâ Iudas obsessus Erynnie, præceps
Nunc huc nunc illuc rationis lumina jecit
Sparsa penetrantis, mentemq; per omnia vertit:
Contotis IESUM pedicis ut stringeret, atq;
Muteret hostilis furialia in agmina turba.
Scilicet hæc vis est argenti perdita cæci!
Interea primam postquam deduxerat ortu
Signifer è cali lucem Sol cardine Pascha,

Quæ

Quæ solenne fuit jugulare piaculi in usum
Agnum, thurscremasq; aras complere cruore
Agglomerat sese Mystarum concio Christe
Sub vultum, verbisq; alternistalia miscet.
Dic ubi Paschalis comedetur victima festi?
Tu mihi tu Simon, cum Iano nuncius adsis
IESUS ait: subitò properate ad mœnia nota
Urbis, ibi (scio sat) figulino vase gravatus
Occurret quidam, cuius vestigia ad ades
Vos ducent optatas: proin vostalibus orsi
Compellate domus primaria jura tenentem.
Hæc mandata per internuncia verba Magister
Insinuat noster tibi: jam provolvitur ævum
En fatale meum; quo sacra cibaria Pascha
Tandem libabo, magmenta suavia myrtis
Et faciam totum longè celebranda per orbem.
Ergò domus nobis cedas cenacula promptus.
Interea Hesperias Phaëion lassatus ad undas
Emeritis properat mannis: Salvator IESUS
Mystarum venit retro comitante catervâ,
Talibus atq; poli pulsavit sidera verbis.
Ah quoties fibris opta vi ardentibus, hujus
Vobiscum sancta gustare cibaria Pascha!
Quam crucis anticipent tetrica me fata cruenta
Verba etenim vobis vero denarro paratu,
In mundi circum circa fulgente teatro,

B 2

Me

Me nusquam Pascha sumpturum mystica dia
Fercula, nisi Patris stellanti sede receptum :
Larga ubi perpetuo passim torrente redundant
Gaudia, nec fines novit diffusa voluptas.
Hac ait : Et posthac carchesia sacra leuavit :
Et momenta precum tali cum voce profudit.
Iam capite, atq; inter partitio iusta bilance
Vos parili fiat : namq; hac sententia mente
Iam mihi fixa sedet : succose pocula vitis
Non gustabo, Dei pralustris Regia donec
Et Paradysæ tempe viridantia terra
Nos reduces capiant, ornatos diuite pompa
Sorte perennantis, superi Et libamine honoris.
Hinc ubi capissent structis discumbere mensis,
Et devota precum recitasset nomina IESUS:
Diuisit panem, porrexit Et ordine Mystis:
En ait accipiat quiuis animamq; saginet
Isthoc pane, mei qui non dubitabile signum
Corporis exiit, mentis sed vera medela est.
Ergo agite hac cana gustantes mystica lauta
Fercula, mea carnis celebrate encomia passa.
Pocula dein manibus tulit, Et libamina laudum
Obtulit intemerata operoso corde IEHOVÆ,
Tradidit hinc illis, tales Et ab ore loquelas
Fudit : rore voluptatis se quisq; perennis
Nectareo riget hoc : quia pharmaca dia propinat

Men-

Mentibus humanis, haustum Et nova sedera poculino
Obsignat, proprii vi vivificante cruoris
Qua pepigi : cuius stillante liquamine linctus,
Mox quacunq; aderunt pisca vestigia noxa
Tollet, ab intuituq; Dei post terga reponet.
Hoc facite ergo omnes, nec fines pectoris altos
Vestri transcendat nostra perpeßio carnis :
Nectare tunc quiuis caelesti perluit ora.

Interea quoniam Paschalis mystica festi
Tempora Sol calo restans duxisset ab alto,
Æterna IESUS pernoxit lumine mentis,
Cardine commoto variabile tempus adesse,
Quo (quod sit felix, faustumq;) extrema propinquat
Hora illi, finisq; via, vitæq; caduca.
Nunc mortem (dixit) constanti robore fultus
Opperiatur, curis lassus fessusq; labore
Hospitio excedam tristi, mundumq; relinquam :
Nunc patriæ fines Et dulcia comminus arva
Intueor : Salvete sacri cum limine postes.
Hi nostri abcessus, expectatiq; triumphi.
Iam mihi libertas dabitur, jam missio cedit
Emerito : navis portus mea tanget apertos.

Pectora dum satiata epulis, mensæq; remota,
Ilicet invadit stygia Dux ipse cohortis
(Eheu) Iudam Et jam præcordia adintima sese
Illius insinuans, dirum implicat ossibus ignem.

B 3

Ac

Ac veluti si fors costis ferventis abeni
Torrída subjicias fagi ramenta, repenté
Fit crepitus, furit immíssus vulcanus habenis,
Exundant ásin latices, sonat intus eorum
Fumida vis, alté spumis exuberat olla.
Haud secus irarum violento percussus aestro
Fluctuat, & varias Iudas in pectore cades
Versat, ei demum potior sententia visa est,
Ut Salvatorem deformi vocis abortu
Proderet, atq; suum dubii in tentamina casus
Mitteret insidiosa Ducem, variegq; rotaret.
Consilia at IESVS mentis librata bilance
Clandestina sciens, capit perpendere secum,
Largiflua Patris bonitate quod omnia haberet
Aetherei, caliq; exisset ab arce nitentis,
Majestate brevi multa rediturus in illam.
A cana surgit, posita & velamina vestis
Abiecat, velis artus præcingit & albis:
Pelluvii hinc patinam implevit salientibus undis,
Mystrarumq; pedes maculosa uli, in labis
Depurgat, mirum visu, mirabile dicta.
Ordinis ergo Deus cum lege urgente sequacis
Ante pedes Petri venisset, talia cepit
(Horrescens factum) lotori obtrudere dicta.
Magna Dei Soboles, toti venerabilis urbi
Inne pedum undosis lympharum fluctibus oras

Nostræ

Nostrorum terges, sudorifluaq; mephytis
Putida discuties jugulantia nubila nares?
Rettulit huic IESVS: vacuum rationis acumen
Claudicat hisce tuum in rebus, dubiumq; vacillat.
Verum cum mentis solidanti robore vires
Succiduas obfirmarit proeclior atas,
Cuncta hæc continges fidei solidantis ab auctu.
Huic inferre Petrus: lympharum fluctibus hæscé
Absterges nunquam plantas Venerande Magister:
Obtendit IESVS: si non aspergine lymphæ
Te jam perlucro, tu ardoris vincula nostri
Dirumpes: capit mox verba reponere Petrus
Talia: non tantum plantas, sed corporis artus
Integri lymphæ lustramine perluc sanctæ.
Sermonem tanti medium huic abrupit IESVS:
Fluctibus humorum plantas madefactus amanas,
Squalentem depurato non corpore sentit
Spurcitiam, verum non accidit omnibus illud.
Noverat omniscia vivo quia lumine mentis,
Belzebulis cujus mens exsaturata colostris
Ingenio excoqueret facies crudelibus ausis
Omnigenas scelerum, queis traderet impete laevo,
Et defrenato IESVM nisu hostibus atris.
His actis: rursus mensis accumbere IESVS
Incipit, & tales profundere pectore voces.
Condigno Domini me dicitis atq; Magistri

Nomi-

Nomine, simplicitas qua me titillat amica.
Ergo ego si vestras lustravi flumine sancto
Plantas: intensis vos huc incumbere nervis
Addecet, ut Domini vestigia nota sequentes,
Hac exempla rudi laudato imitamine vulgo
Præstetis: Domini nam jussa capessere fas est
Servum, nec superat commisso munere quisquam
Legatus populis Heroa & Marte potentem.
Quilibet at vestrum teneat ratione magistrâ,
Non hoc simpliciter me cunctos fasce gravare.
Namq̄, satis teneo patrio transcribere olympo
Quos volui, ante stuporifici fundamenta mundi
Dadala selectos, sed ne malè sulta vacillent
Dia statuminibus levibus præfagia verbi:
Uno qui mecum vescetur pane (tenete
Hoc mysta) paucis monstrum mercabile nummis
Me prodet, monitus nec nostros audiet ipse.
Hac ergo anticipans ventura tristia sortis
Tentamenta, operoso vobis narro parata
Verborum, evenient quando hæc labentibus horis,
In me ut figatis mentis vaga lumina IESUM.
Hac etiam juramenti firmata sigillo
Verba sero vobis: promptè qui suscipit unum,
Turbida quem variis spebus fortuna flagellat,
Pectore me devoto suscipit atq̄, fideli.
Et qui me recipit, recipit (modo credite) eundem


A quo

A quo discessi terra dimissus in oras.

His dictis: IESUS trepidis præcordia fibris
Turbari capit palpantia flamine sancto,
Et verba hæc retulit caelesti proflua succo.
Qui me congestis nugis involvere morte
Intendit, visa est super hæc mensâ manus eius.
Contundebantur graviter præcordia Myta,
Attonitiq̄, sedent, versantes luminis hircuos
Nunc huc nunc illuc, partes mentemq̄, per omnes
Flectentes, quemam peteret Christi ista querela?
Hinc inter sese scitari & querere hiantes
Certant, alternoq̄, acuunt has ore querelas
Omnes: an nostrum feriunt hæc spicula pectus?
IESUS at illorum verbis sic verba retorfit.
Qui mecum digitos in discum conjicit, idem
Nec scrobibus terræ sub viscera cæca subactis
Condet, & obvolvet mendacibus undiq̄, nugis.
Hæusit qui Christus lucis vagitibus auras,
Ambulat in mundo juxta decreta Parentis.
At tu strips inriza Deo, tortoris Averni
Mancipium mortisq̄, domus deformis lûdæ
Læbes, progenies serpentum, infamia gentis
Nostra, turba Erebi, cæcis devota tenebris.
Audi quæ maneant te fata, quis exitus audi
Temet circumstet: (neq̄, enim jam vera profari
Formido: quam vis mibi vincla necemq̄, mineri.)

C

Non



Non solum deinceps extrema per omnia seclā
Tristibus arumnis, curisq; exercita duces.
Quin etiam stygiā post fata immersus abisso,
Sentiet ben animus cruciatus sine carentes.
Tunc sapē infectum cupies hoc posse reverti
Factum frustrā, Erebi fundo versatus in imo.
Hec maledicta dies, quā te impurissima mater
Ex uteri latebris terram projecit in istam!
Terra onus in visum, terra execrabile monstrum.
Hec maledicta dies, & detestabilis hora
Quā thalami indulset genio Pater, unde profectum
Hoc hominis monstrum, sceleris reus ille nefandi.
Proditor his dictis scitari & querere IESVM
Cepit: Egon sum verborum hoc atrove notasti
Quem tu Nate Dei? cui murmura inania IESVS
Fulmine displosit responsi: tu dixisti.

Interea quidam Mystrarum ex agmine IESU
Assiduo cuius flagrabat adustus amore
Illius pressit gremium, quem nutibus alter
Orabat Petrus tacitis, ut querere IESVM
Instaret, verbis quemnam depingeret istis?
Ille igitur tardante mora languore reciso
Infit: die nobis IESU tua verba colorent
Quem dubiis pigmentis obscuroq; paratu?
Hunc Dominus cepit verbis obtendere verba:
Ipse est intincti dederō cui frustula panis:

Tradidit

Tradidit & Iuda tacita ob tectoria culpa.
Ipse his acceptis crypta sub pectoris imā
Auctus adoptivis Furiis, animoq; protervo
Ardet, & irarum cunctas effundit habenas.
Dumq; agitur Furiis, toto flammantis ab ore
Scintilla absistunt, oculis micat acribus ignis.
Ac veluti quando lupo insidiatur ovili,
Horrisono fremitu ingentes ad sidera tollit
Mugitus: rabies collecta fatigat edendi
Ex longo, & miseros morsu depascitur artus.
Hand secus accenso gliscit violentia Iuda,
Insolitoq; rudis, torvumq; repente tuetur.
Hac igitur IESUS cum indagine mentis odorā
Sciret, terrisono profudit talia ab ore.
Nil quia te terrent caelestia fulmina Iuda,
Nil Stix, nil Sathanas, nil Orcus, nilvé Gehenna,
Quod struis, & quo te raptat vesana libido,
Id subito expedias, peragas studioq; fideli!

His super attoniti cingentes ordine mensam
Discipuli (neq; enim stupida comprehendere mente
Dicta Dei poterant) quorum sententia mentes
Instarat talis: curator prospice Iuda,
Ne nos deficient sacri sub tempore festi
Dona misellorum, tristis fera murmura sortis
Quorum persultant animos, stomachumq; latrantem.
Continuo egreditur Iudas, accincta tenebris

C 2

Cum

Cum nox involvit cæcis amplexibus orbem.

Discipuli interea fremitu spumare petulco
Ambitionis, quis fastigia prima teneret
Sortis eos inter sacra templiq; verendi!
Suavia nectareo IESVS sed verba susurro
Rettulit: inuidi pomposo fasce Dinasta
Amplas justitiâ frenant, qui & legibus urbes,
Pone ministrantum stipati examine crebro
Servorum, reliquos illustris momine sortis
Præcellunt, populumq; sub aquâ lege coercent:
Orbita sed vobis fuerit non ista terenda.
Nam quicumq; animi largis supereminet omnes
Dotibus, exili se cognitione coarctet.
Secula vos inter multi qui computat ævi
Annosus, pueri referat præcordia simpli.
Scilicet invaluit jam consuetudo per orbem,
Qui reliquos inter mensis accumbit honore
Conspicuo, is gaudet melioris momine sortis,
Assistens quam qui servili lege tenetur.
Servitia en prompto vobis nunc talia præsto
Obsequio: modò vos mecum furialibus ausis,
Et facti duris infractâ mente tenebris
Ite ex aduersum, melioris imagine causa
Freti: disponam caelestis gaudia regni
Mystica nam vobis, ubi non peritura voluptas,
Pax ubi tranquilla & cunctarum opulentiâ rerum.

Summi

Summi orâclâ ferunt veluti divina leborâ.
Scilicet astrigeri per castra nitentia cæli
Perpetua referetis niceteria vita,
Angelica aspectus turma, ipsiusq; Tonantis,
Sub pedibus dabitur stellantia cernere claustra.
Et jus dicetis dubiosa examine cause
Omni, qui nostra sistetur pallidus urna.
Hæc requies erit, hæc cunctorum meta malorum.
Dicite sive fremat Mundus, seu dirus Avernî
Arbiter, & Furia, Furiisq; nocentior ipsis
Cerberus ardeat, totumq; Acheronta molestet,
Mens tamen in nobis casu durabilis omni est.

His actis: alternantis pertexere telam
Sermonis capit refluo subtegmine IESVS,
Tempora jam tacito venerunt debita cursu,
Ipse sator rerum & summi mens certa Parentis,
Qui nutu ingentes orbis moderatur habenas,
Est quibus athereâ Patris irradiatus ab aurâ.
Ipse Parens etiam per eundem laudibus amplis
Accumulatus iit, qui in eum exundabit amore
Ardenti nimium, quod aget properantibus horis.
Huc mea adoptivo lectissima pignora iure
Lumina dirigite, atq; animis hæc figite vestris.
Hora abitus sursum nostri provolvitur ævo
Labenti, vestrum neq; per vestigia nostra
Incedet quisquam: quondam ceu pandimus illis,

C 3

Quos

Quos Iudaea tulit tellus sub luminis auras.
Conspontis igitur de vinculis amoribus alter
Alterius redamet mentem, succensus ab aestu
Ut vivo quondam vestri retinebar amore.
Atq; istud fuerit spreto sine nomine vulgo
Indicium, vos esse meos sine fine ministros.
Sic ait: insipida Simon sed proflua voce
Dicta dedit, quarens ubi se conferret Jova?
Huic iterum IESVS: scrutaris inaniter ista
Simon: nam vobis est impenetrabilis ista haec
Semita: vaniloquo Petrus turgentia factu
Dicta dedit rursus: per mille volumina rerum,
Fata per imperiosa necis, perq; horrida sortis
Murmura, te intrepido sectabor pectore IESV.
At IESVS tumidi revocabat pectoris aestum,
Spumantis bullas mentisq; premebat inanes.
Quid stridorisono me obtundis Petre boatu,
Barbara vesano revomens mihi verba susurro?
O Simon Simon rabioso percitus aestu
Irarum Sathanas, veterator, leno dolorum
Nequitiosus anhelanti sudare labore
Cepit, ut omnipotentis vos ab amore recisos
Numinis, atrore & tenebris perfunderet atris,
Triticeosq; velut per rara foramina cribri
Disjiceret floccos, vario jactaret & aestu.
Ast ego calicula sinnato poplite Regi

Vota

Vota dedi, ne tendinibus male fulta malignis
Lapsa vaga fidei procumbant culmina vestra.
Ergo tu mentem mordaci lotus aceto
Imbue praclaro salvantis neclare verbi,
Ne quando (vercor) sub recti simplicis umbra,
Sub specie veri fanaticus error in imos
Irrumpat sensus, dubii & vos aestus adurat.
Ipse iterum jactans mera mendicabula vocum
Insit: sanguinea mihi vis vegetata juventa
Spirat adhuc, sedis ergastula plena tenebris
Intrabo tecum, qua monstra heu horrida monstra
Offendant, facies ubi non latabilis omnis.
At nugas retudit divini fulmine verbi
Petre tuas Iesus, tandem sic farier orsus.
Non prius aërios sonitu luxabit acuto
Tractus praedita avis cristâ, farragine vocum
Quam me falsarum ter mobilis inficeris.
Sic fatus tali reliquos hortamine Mystas
Implevit: qui vis tritæ velamen abolla
Vendat cum perâ, sibi quo mucrone minaci
Prospiciat, contra terrenia fulmina & armet.
Namq; hæc e ventu contingent omnia certo,
Æthereis qua detexit scriptura statutis
Eruta, sacrilega ventosa per agmina turba
Ducetur, letho maectandus IESVS acerbo:
Iamq; ea contingunt summa signacula creta.

Terræ.

Terrifico incessit stipata protervia vultu
Discipulos, cum voce feros quæ exterreat Euros,
Eurosq; Zephyrosq; & agentes nubila Cauros.
Adsumus instructi fulgentis acumine ferri
Intrepidi, indomitis & mens superastuat iris.

Interea nostra genuina medulla salutis
IESVS fluctivagi superato Cedronis alveo
Montis anhelabat fatale cacumen amœni,
Summa Corymbifero juga qui vestitus amictu,
Nectare Baccheo latos pascebat ocellos.
Pone sequebantur Mystra quædams talibus orsus.
Luna gubernatrix lucentis fulgida noctis
Cum croceis scandet calis pacia alta quadrigis,
Sapè animus dubiâ vertigine concidet actus,
Energiq; fides de me languore fatiscet
Vestra, velut proceræ altis in montibus ornâ
Nunc huc nunc illuc Boreâlis fulmine hiatus
Iactantur, motis collidunt omnia ramis.
Namq; hoc testatur chartæ sacra pagina diæ
Letiferis mors pastorem lictoribus atra
Obruet, effusaq; ruent per aperta bidentes
Compita, quas anceps detrudet opinio gyros
In Labyrinthæos, errorum atq; avia cæca.
Insutus verò vivæ compagine carnis,
Præius abducam vos ad Galilæidos oras,
Aërias varium labarq; volumen in auras

Iactabo,

Iactabo, victa ceu niceteria mortis.

His Petrus auditis verba hæc bullata reponit:
Per varios casus per mille pericula rerum
Te sequar, & tristes tenebrosi carceris umbras,
Mente nec emotum solida me dira Tyranni
Ullus quatiet facies, nec atrocita fata.
Dixerat: at IESVS contra sic talia fari:
Petre tuæ novi Deus altam mentis abyssum
Verus, & incoctum generoso pectus honesto.
Ante tamen tacuæ per cæca silentia noctis
Fædis fragis me iterum verbis iterumq; negabis:
Quam matutinas ales qui suscitât auras
Cantibus, explicitas pando laxabit hiatus
Bis fauces: Parvi censens audaculus isthæc
Incretamq; tegens vapido sub pectore vulpem,
Insurgit rursus tumido mendaculus ore.
Fata suas in me nervo crepitante phalanges
Si jacent, lasum & disrumpant vulnere corpus:
Non horrebo tamen tuus optime Mystra vocari
Christe, adjurato reliqui quod & ore probabant.

Exin Gersemanum accelerans (sic nomine dicta
Villa fuit) IESVS sociis comitantibus hortum
Intrat: ter denis monstrum mercabile nummis
Ihcariota malus novit sedemq; viamq;
Ante frequentârât sociorum quam agmine IESVS,
Discipulis illic IESVS sic incipit ore.

D

Vos

Vos remanete illic, & me dimittite solum,
Brachia protendens, flexoq; ut poplite utroq;
Sollicitare Deum ferventi pectore possim.
His dictis: secum socios assumit lanum,
Jacobum, Petrum, Zebedeia germina stirpis.
Tum verò tremefacta novus per pectora sese
Horror ei insinuans circumfilit agmine facto
Plurimus, incutiens tentoria pectoris alti
Conquassata spei dubia alternante tumultu,
Atq; insit: mea mens densatur nocte dolorum
Obtentâ, & magno curarum fluctuat aestu,
Ut collapsa ruat subductis vita columnis
Nostra ferè, atq; abeat postremus anhelitus ore
Nunc agite ô istic fidi remanete sodales,
Et solido immota fidei munimine nixi
Delitias somni labemq; fugate veterni,
Atq; Deum sanctis animi incurvate querelis,
Ne Labyrinthus mentis suffocet acumen
Error, & obtenebret dubio glaucomate ocellos,
Indutos larvis personatoq; decore.
Sic ait: ulterius procedens seq; ferebat,
Et socios spacio linquebat pone jacentes,
Quale quis ejecti metari pondere saxi
Posset: & extemplo fervente reciprocatur aestu
Nomina votorum, digitis pedibusq; plicatis
Elevat erectos sublato vertice vultus

Ad

Ad cœlum, procumbit humi mox cernuus ora,
Luctifonâ tales prorumpens voce querelas.
O Pater alme tuum prece si expalpare favorem
Possum, ne calicis nostra ora liquamine amari
Hocce riges, mihi & fato praterfluat hora.
Solutus tu horrifici contundis spicula fati:
Sufficiat tua sola mihi Pater alme voluntas,
Si vis si mandas, si stat sententia menti.
His ita perfectis Mystas properante revisit
Gressu, quos toto prostrantes pectore somnum
Conspicit, & fusco velatos noctis amictu.
Mox igitur Petrum verbis affatur amaris:
Stertis adhuc, laxumq; caput compage solutâ
Oscitat ô Simon dissutis undiq; malis.
O pigrum! haud unam mecum vigilare per horam
Quivisti? procul hinc procul hinc secludite somnum,
Torpori haud locus est: querulo procumbite gestu,
Supplicis instate, eademq; iterate rogando,
Ter quater obnixi, ne mens torpore soluta
Concidat, & rupto fidei diazomate vana
Ventilet accepti malè perditâ semina verbi.
Ardenti certè pietatis inarsit ab aestu
Spiritus, exsuccis friget caro languida fibris,
Disidiis prostrata jacet, collisa fragore
Ambigua affectus concurrunt tela per ipsam.
Hæc fatus rursus lentè digressus abibat,

D 2

Atq;

Atq; quiritatu palantia sidera cœli
Contutus nitidi, misere inclamabat anhelans
Curarum lenimen acerborumq; dolorum.
O Pater omnipotens cali divina potestas,
Si tua non mutata loco sententia cedit,
Vultq; ut pota rigent nostras carchesia fauces,
Expeditam tardante mora languore reciso,
Atq; tua obsequio faciam mandata fideli.
Dixit & hinc iterum de vinc̄tos lumina somno
Discipulos vidit membris recubare supinos.
Lumina namq; illis magno densata tumore
Squalebant, nec erat qui respondere rogatis
Posset: proin̄ DOMINUS precibus revocatus abibat
Rursus, & assuetos geminabat ad athera questus.
Alme Deus, venerande Pater, metuenda potestas,
Te precor in melius tua qui potes orsa reflectas.
Si tamen hac mens est, ut nostra rigentur acore
Ora propinato, tibi me parere necessum est,
Nec facile obnixum tantis me obvertere iussis.
Aspice nos clemens, & si pietate meremur,
Da deinde auxilium Pater, atq; hæc omnia firma.
Interea cœli sese cortina recludit,
Ad volat & quidam similis vocemq; coloremq;
Angelo, & ipsius faculis ambusta dolorum
Pectora vivifici mulcet solamine verbi.
Ergo sanctorum Deus auxiliariis armis

Acrius

Acrius indulsit votorum: hinc corporis artus
Persudit silians imber sudoris anbeli,
Sanguineas referens guttas atrumq; cruorem.
Hæc ubi facta: loco cessit, finemq; precandi
Imponens, studio socios fervente revisit:
Atq; illos iterum curis ingentibus agros
Declinasse videns dulci sua lumina somno,
Talibus affatur verbis, atq; increpat ultro.
O socii socii quid nunc recreabilis ista
Detinet heu somni torpentia membra voluptas?
Quid sibi delitium vult hoc tenebrosa tot inter
Nubila curarum, duraq; tonitrua sortis?
Damnosum potius quin longè arcete soporem,
Mens effata eius ne flamma exastuet unquam.
Imminet en sati delapsa terminus hora
Lege trucidis, certè nullis quæ est cognita, nec jam
Nota, nec è medio fortuna cardine ducta.
Illa est quæ manibus misere post terga retortis
Conjiciet medios latronum me inter acervos.
Ergo agite ô socii di vortia ponite somno,
Mutemus sedem, mendacî futilis auctor
Inflammata cui violentia turbida gliscit,
Conscia jam accendet stimulus præcordia cæcis.
Vos autem intrepido funestis pectoris ausu
Experti casu, animum servate virilem,
Ut tanti remanens adolescat gratia facti:

D 3

16

Ut vos sera dies arsurig, ultima mundi
Secula commemorent, fidiq, negotia faste
Tanta notent, memorem semper celebentq, per orbem.
Obice quin etiam munite in victa piarum
Corda precum, in praeceptis vos ne irremediabilis error
Turbet, mens facibus pereatq, ambusta dolorum,
Et curarum mergatur torrentibus undis.

Vix ea fatus erat: caput horum & causa malorum
Eminus accurrit Iudas, simul omnia visus
Terribili lastrans & formidabilis astu.
Primus adest horrenda aconita pedissequus optans
Pontificis, subit hunc Pharisea turba caterua,
Horrificis gladiis, diro & fulgore vibratis
Circumfulminat, & facies scelerum incutit atra.
Hinc sese agglomerant primores pebis & urbis,
Tempora qui circum cano vestita capillo
Apparent, reliquos & iust à lege coërent.
Tandem Scribarum sevis balatronibus agmen
Sese infert: alius munitus it asserre duro,
Stipitis hic grauidi nodis & acumine ferri
Ancipitis stricto, fundâ ille hastaq, trabali,
Atq, oculis rabidam bilem substringit apertis.
Qualiter explicuit per opertos gramine campos
Se legio, creperi subitura pericula Martis.
Hic Iudas versare dolos, ingressus & astum,
Protinus has tumido rumpit de pectore voces.

Cujus

Cujus in amplexus diffusus corpore toto
Basia porrectis dabo nequitiosa labellis,
Hunc amens animi & rimore accensus amaro
Quisq, trahat, vincidorum immensa volumina versans
Huc illuc, arctisq, artus constringat habenis.

Præsciis at noscens ventura oracula IESVS
Ultrò illos adit, & tali sermone salutat.
Fage age qui gressus ad limina nostra tulisti,
Quem queras, cupias, votisq, ardentibus optes?
Illi alternantes vix verbo verba morati
Clamabant, IESVM clarat quem fabula vulgi,
Esse sub angusto Nazareni cardine mundi
Effusum rosei dias in luminis auras.
Nil Dominus simulat malefide, libera verum
Verba animi proferre, & vitam impendere vero
Cogitat, atq, illum præceptis sese esse fatetur.
Hæc effatus iis Vappa imperritus astat
Iudas; accessit Iesum, libavit & ipsi
Basia, projecit talesq, è gutture voces,
Sollicito versans vasfras in pectore fraudes.
Incolumis Rabbi seclis labentibus ævum
Traducas, subitoq, ipsi dedit oscula Vulpes.
His actis Christus sic ultrò affariet ipsum:
Dic quâ Tisyphone, quibus exagitare colubris
O Iuda? admordes stimulis tua pectora cæcis.
Tam crudele nefas scelus & feralibus ausis

Tu

Tu facis, haud DOMINI casum miseratus acerbum!

En erit illa dies furtim labentibus annis,
Non dabit optatum tibi tristis cura soporem.
Quocumq; ingrederis, tecum praecordibus agris
Trux facinusq; sequetur, hevilisq; omina mortis.

IESVS finito vix hic sermone quievit:

Ecce statim rabie jecur incendente feruntur
Praecipites, fremitu stipant tristiciq; frequentes
IESVM, alternantes multâ & vi vincula miscens.
Ducitur inde statim manibus post terga re vincitis,
Atq; ignominiam graviozem vulnere perfert
Omni: sed sociis irarum seua cupido
Fermentiscit, & in fluctus exaestu atros.
Ergo certatim scitari & querere pergunt,
Exerti an liceat distringere acumina ferri,
Corpus ut ipsorum crudeli vulnere hiaret?
Et Petrus excussis mox fulminat ense lacertis,
Agglomerat sese propiusq; sub ora ministri
Malci, depopulans inbonesto vulnere truncam
Ipsius abscinditq; aurem, spoliataq; linquit
Tempora: spirantem fumos ex pectore Petrum
Irarum calidos dictis revocabat IESVS
Talibus: aratam praecipis tu conde macheram
Petre, lacebitam ferro neve instrue dextram.
Quisquis enim gaudet romphae fulmine stricta
Illicito, ipsius gladius penetrabit ad alvum

Sangui-

Sanguineus ruptam, teget & pallentibus umbris.

Poplite jam flexo sacras prostratus ad aras,
Si patrias pulse m votorum insultibus aures,
Desuper ipse mihi clypeato Marte phalanges
Bis sex demittet, tutumq; per omnia sistet.

Annon exsuccis arentia guttura fibris
Hoc humore rigem cali mandante Dynastâ?
Ergo laborantem famuli dum tangeret aurem,
Sanguineum scissæ rimæ solidavit hiatus.

Dein abiens ultrò convenit vocibus illos,
Quorum erat enucleare sacri mysteria verbi,
Templorum studioq; statum fervente movere.
O cur va in terris anima & caelestium inanes,
Quid ferrum, quidvè hæc geritis tela hostica dextris?
Non secus ac manibus si quem post terga retortis
Velletis Regi conamine tradere fido,
Quem movet occultis animi semperq; tacendis
Tempestas, hominum quiq; abdita rupit hiantis
Spiramenta anima lethali vulnere savus.
Annon in templo sacrati Oracula verbi
Prosposui, syrtes errorum & naufraga saxa
Demonstrans falsi, sedes caliq; beatas?
Tum nemo irarum rabioso percitus æstro
In nos immiti glomeravit verbera dextra.
Nempè obtusa acies humanæ mentis hebescit,
Caligant oculi, obtenebrat praecordia nubes,

E

Et

Et regnum Sathanae plenis dominatur habenis,
Scripturae ut fiant praesagia consona vero.
Sic ait: Sociis retrò fugientibus ipse,
Perstitit, & juvenis promissa firmate cinctus
Sindonis, assidue qui eius vestigia clausit,
Mox adolescentum numero comitante prebensus,
Sindone captantum fraudes effugit omissa.

Undique mox igitur Iudae insana cohortis
Circumsusa ruit rabies, immittere Iesu
Tristia vincula parat per utrumque arctata lacertum.
Hinc ipsum advolvit sub limina Iudicis Hanna,
Inde iterum Caipha ad praecelsa theatra tremendi
Pontificis celerat, qui fortè coegerat isto
Tempore concilium Patrumque senumque malignum.
Hic Simon alio simul agglomerante secutus
Praesidis insequitur Iesu vestigia ad ades,
Janitor atque domus custodit limina fidus,
Atque animi fidens socius regalia tecta
Ingreditur praeceps, malefida & sortis anhelat
Eventus, dubiaque volumina lubrica causa.
Mox iterum egrediens famula ne iussa moretur
Praecipit, atque vocet celsa in penetrabilia Petrum.
Seravorum interea stabat glomerata juvenus,
Inque domo tepidum flammam crepitante movebat
Vulcanum media, vivaces frigore vires
Ut redeant pulso, & lenis calor ambiat artus.

His

His aderat Petrus, cumque his fastidia fallit
Lenta mora, tantarumque ultima momina rerum
Anxius expectat: subito en festina volatu
Accelerans famula obtutu fixa haeret in uno,
Talibus & Petrum dictis atque ore salutat.
Dic age nonne hujus pars es fidissima IESU?
Ilicet ipse negare, & contra talia fari.
Hae ancilla tuo memori sub corde repone,
Et mandata refer Domino: non novimus unquam
Qua facies homini, aut gressus, quis spiritus oris!
Ergo cum instaret Iudex exquirere IESUM
Summus, quos habeat Mystas, quod dogma propaget?
Talibus exorsus sua vocibus ora resolvit.
Non mihi quasi vi latebras, anfractibus antra
Curvaque inaccessibleis, certans mendacibus umbris.
At mea diffuso per mundi fama vagatur
Climata remigio pennarum, Daidala caeli
Erecto summi laquearia vertice pulsans.
Sacra revelata vi dii fundamenta verbi
Inter Doctores, mitrataque agmina gentis.
Quid nostram incestas frustra his latratibus aurem
Vanis? quin illos magis percontere rogando,
Mentes qui nobis usque indulgere vacivas,
Ingeni & mecum arguti pernicibus alis
Mystica sacrifici subire sacraria verbi.
Dixerat: & Joelerum Furiis agitatus iniquis

E 2

Satrapa,

Satrapa, fulmineâ succendens pectora bile
Savaq̃, districto colaphos impingere pugno
Molitur IESU, sic & rabida ora resoluit.
Audacem o? visu miserabile: dicta reponis
Hæcine Pontifici subjectâ plebe clientum
Qui fulget latè, cuius prælustrior exit
Splendor, & in summâ dominatur luce popello?
His actis, præceps subito alta silentia rumpit
IESUS, & extentâ furiosum voce flagellat.
Nescio quid tecum grave corniceris inepte,
Si reprobo jactata sono scelerata profudi,
Quin me tu convince, redargue, corrige doctor?
Sin autem liquido dixi contermina veris
Verba sono, immeritas quare mihi verberare duro
Conquassas aures, pugnis contundis & ora,
Ut mea tinnitu demurmuret auris acuto?

Ecce autem Petrus medii penetralia tecti
Stans intra, pigro contactum frigore corpus.
Calfecit: at postquam diducto faucis biatu
Arguto gallus pulsaret sidera cantu,
Festinus migrat, seq̃ extra tecta reponit.
Interea rediens Petrumq̃ ministra tuetur
Altera, diffunditq̃ oculos totumq̃ pererrat
Luminibus tacitis, & sic exorsa profatur.
Fare age dilectos inter memoranda sodales
Nonne es pars vinceti IESU? per sidera testor

Per

Per superos, atq̃ hoc cali spirabile numen
Objicit is præceps, hominem non novimus illum.

Sic ait: at rursus fluxum post unius hora
En tali affatu prima hæc exordia sumens
Alter adest: vera æqualis commercia vite
Cum IESU, & parilis morum te copulat usus.
Namq̃, referens eadem Galileæ affamina lingua:
Atq̃, ego te vidi truncata fervidus aure,
Cum Malchum exsueres gladii mucrone minacis.
Ipse iterum ejurans omen removere sinistrum
Conatus, tales prorupit pectore voces.
Per calum testor, rerum per quicquid ubiq̃ est,
Conspexisse hominis nunquam nos istius ora.
Hæc fato patulas demulsit cantibus auras
Ales, qui modulo tenebras discernit acuto.
Postmodò Salvator vultus atq̃ ora reflectens
Aspiciensq̃ Petrum, nunc huc nunc torsit & illuc
Lumina, veridico qui eius convictus ab ore
Tristitia sollicitis roset præcordia curis,
Arrectaq̃, horrore coma stant vertice, pectus
Commovet & gemitus creber, lacrymasq̃ tepentes
Lumina nec cohibent, liquidus fluit imber ab ore.
Concili interea reprobo cum præside sævi
Exauctorata desperatâ indole feces
Vndiq̃, convasant magno molimine vires
Fingendi, cumulandi & barbaro verba susurro

E 3

Vesano,

Vesano, ut Christum reprobæ convincere culpa
Possent, atq; ipsum funesto excindere letho.
Ergo hæc dum tractant variis & vocibus inter
Se miscnt, cæcâ (mirabile) Erinnye cordis
Surrexere duo conati spargere voces
In vulgum ambiguas, & verba referre sub auras,
Suppilata fero putri turgentia succo.
Nonne es qui ampullas jactabas pectore quondam
Fastoso, affectans liquida proscenia laudis.
Templa Deum ex imis hominum molimine facta
Præcipiti quatiâ motu eruta fundamentis,
Allidens & humi contrita equabo saburra
Duriter: at postquam lux tertia lumine terras
Sparsert, erectum rursus exsinuabo per auras
Culmen, & immotum solido fundamine stabit.
His ita prolatis: non respondere volentem
Præcipiti Præses vertigine summus IESUM
Talibus increpitat: quin alta silentia rumpe?
Fare age, nam litis te contra copia surgit.
Frenata placet at constans custodia lingue
Christo, obditq; sua firmata repagula voci.
Inde Sacerdotum sex enutrita colostri
Eumenidum, Christum cogit proferre sub auras,
An sit salvifici soboles veneranda Iehova?
Talibus & rabida distorquet faucis hiatus:
Numina per vivi te obstringo diua Parentis,

Ut

Ut quaesita feras diâs sub luminis auras,
Vnde trabas generis cunabula fusus in auras
Prima tui, num sis genis caelestibus ortus?
Cui responsa dedit, res ordine pandis IESVS.
Quilibet atliquidum vos inter noscat ad unguem,
Hæc ubi decurrent tacito labentia motu
Tempora, cernetis vestra compagine carnis
Indutum, superas caput inter condere nubes,
Adq; Patris vasti residere per atria cali
Dextram, perpetuo quæ cuncta gubernat in usu.
Sic ait: atq; Sacerdotum de plebe furentum
Discerpens quidam vestes clamoribus instat.
Dira venenata jaculatus toxica lingua
Numina defixit caelestis in enthea Patris
Quod placitum est nobis fiat, nunc tempus agendi,
Nec longo litis sufflamine causa teratur.
Dixerat: ecce ruit consensu in vota tenaci
Tota cohors, Iesumq; nigris adjudicat umbris.
Accelerat rigidis lixarum turba catenis
Circumdans IESVM, naso & crispante cachinnos
Ingeminat salso, adipataq; guttura pandit,
Mucorisq; eius fedans uligine tetri
Vultum, mox colaphos pugno superingerit atro.
Ceteri inumbrantes strophii velamine vultum
Ipsius immundi, manibus concidere pectus
Incipiunt, planâ & faciem contundere palmâ,

Et

Et dicta hæc rabido depromere faucis hiatu.
Fare age fatidica vanissime vocis IESV
Præsidio, cuius tua circum tempora pugnis
Errarit, dederitq; tuo ferulacea tergo
Præmia quis virgis, & ramo armatus obusto?
Nec modus his rebus, dira q; tonitrua vocis
Blasphemo jaculata tubo superaddere certant.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.
Concilium indicunt, totus cum plebe Senatus
Densatur numero, famosa stipendia linguæ
Iurisona dantur, modulo & rationis acuto
Tantarum variè pervolvunt momina rerum,
Lethiferis IESUM mortis quò casibus atra
Involvant, sacrentq; illum nigrantibus umbris.
Consilio ergò habito pallentem ad Iudicis urnam
Sistitur, & solito vexatur lemmate rursus,
Impulsus fari, quisnam, quo sanguine cretus,
Unde domo, tandem qua sit fiducia capto:
Ille hæc constanti vocis gravitate profatur.
Proficit haud sermo! rapiuntur dicta per auras
Diffusas mea confestim, iuvat ergò silere:
Lemmata nil prosunt: nobis responsa reponit
Nemo, nec illesos nox extra tecta reponit.
Hæc ubi provolvunt lapsu se secla citato,

Filius

Filius ecce hominis cali super astra relatus,
Utietur superi caelesti fasce theatri.
Tantum effatus & extemplo obstupere silentes,
Conversiq; oculos inter se atq; ora tenentes.
Dixerunt: summi natum te siemmate Patris
Assevis: aut uno tecum quis id astruit ore?
Interea vulgi lato glomeratur in unum
Agmine crebra acies intempestivior umbris,
Quas complexa suo styx horrida continet orbe,
Et Iesum toto constrictum corpora fune
A Caiphâ ducit Pilati ad Iudicis ades.
Tempus erat cum Sol spaciosas lumine terras
Purpurat Eous, cæcas & dimovet umbras.
Aigidus en Iudas horret, pavidoq; gelaescit
Pectore, nec tremulis potis est insistere plantis.
Quod (dolor heu) fidens animi atq; in utrumq; paratus
Crimen acerbasset quondam, mortisq; cruentis
Compedibus rigida Dominum illaqueasset IESUM.
Ergò importuna malefida volumina sortis
Commiserans, retulit reproba data fœdera gaze,
Et tales misit de pectore suspiratus.
O Pilus! ô tellus! ô impetuosa protervis
Æquora flammibus! rerum ô quod ubiq; videtur!
Pantet infandi sceleris fœdæq; ruina,
Pantet argenti simul infelicis: & hostem
Heu rabie immani piget adjuviffe, pudetq;.

F

Dixit

Dixerat, & sceleris precium execrabile tanti
Triginta siclos argentea munera primum
Corripit, & magni pallens ad limina templi
Adq; Sacerdotum turbam venit: heu mihi dirum
Sanguinem in innocuum commisi proditor: ecce
Argentum vestrum, mercesq; in visa cruenta
Perfidia, & nummis per templa faventia votis
Sparsis secessit, fauces & vocis hiatu
Strangulat absorpto, jucunda tempora vita
Decurtans, migransq; ad subterranea regna.
Res memoranda novis annalibus atq; recens
Historia, laqueo vacuas libratus in auras
Dependeret ubi, disrupta diffluit alvo,
Vermibus ac de se potentia viscera sparsit,
Et via facta anima tenebras fugientis in imas.
Qualiter occisus sub brumæ forte viator
Soles, & cryptas terra projectus in altas,
Incipit horridulos circum fatentia vermes
Membra alere, & rupti putrescere corporis artus.
Facta renidescit postquam genitabilis anni
Tempestas, letoq; redit Zephyritis honore,
Dulcissimo mulcens calum terrasq; susurro.

Est locus & cacis latè domus alta cavernis,
Intus opaca, ingens, piceâ caligine septa:
Cerberus in foribus stabulat, Stygiaq; sorores
Sphynx Phocæq; simul, flammisq; armata Chimera,

Semi-

Semiferumq; genus Centauri, & Gorgones atra,
Atq; Hydra atq; canes & terribiles Harpyia
Terribiles visu forma, atq; tricorpora monstra,
Ingentes fumos omnes (mirabile dictu)
Faucibus atq; oculis & pandis naribus efflant,
Involvuntq; domum totam, glomerantq; sub antro
Sulphuream flammam, committis igne tenebris.
In medio Princeps Sathanas sedet, horridus uncis
Unguibus, oblongâ facie, pedibusq; bovillis.
Parte loci levâ excisum stat triste Barathrum,
Quod nebula ac olido spirantia sulphure stagna
Irrorant, virusq; nigro torrente redundans.
Hinc exaudiri gemitus, & dura sonare
Verbera, numellæq; graves tractaq; cathena.
Hic tibi supplicii locus est, his improbe Iuda
Detentus claustris, frustra fremis ore cruento.
Instat vi multâ metuendi praeses Averni,
Te meritum sudibus, trifidisq; tridentibus urget,
Atq; ita condignas tibi pro crudelibus ausis
Persolvit grates, & premia iusta rependit.
Quam velles scelus infectum? vota irrita jactas:
Fata obstant: nigraq; palus innabilis unda
Alligat, & semper styx interfusa coerces.
Exin sacrorum collectam furba monetam
Custodit, stultoq; affamine talia miscet.
Ab scelus arato ne in visa pecunia fisco

F 3

Con-

Condatur templi, squalet quæ sanguine fæda.
Quilibet assensu præceps conspirat in uno,
Præcipit inq; alios injusta metalla reponi
Usus, & fundi diuergia amena parari,
Vt peregrinorum tradant defuncta sepulchris
Corpora, congesta cingant atq; aggere terra.
Plumea ventosis subito de voluitur alis
Eama, Palæstinae Solymæ ad mania gentis.
His ita perfectis: delira cæterva popelli
Iudæi refugit metuenda i theatra se veri
Iudicis intrare, impuro ne crimine mores
Polluat, a se agni de vota cibaria gustet
Paschalis, summi sanctissima ferclâ Iehovæ.
Hinc formidandâ mox maiestate superbus
Egrediens Iudex affatur taliter illos.
Dicite cur hominem manibus post terga ligatum
Ad nos horrifico rabidi clamore trahatis?
Quin capite hanc animam, vos & pro momine legunt
Vestrarum manes victam detrudite ad imos.
At Iudæa cohors nigris resperfa venenis
Eumenidum, fraudes constipat & aggerit omnes.
Imperii Rector, vindex æquissime juris
Iustitiæ columen, veræ pietatis amator.
Iura tuis aquâ dispensans lance colonis,
Penis affligens reprobos, dans præmia justis
Debita, quin saltem nostris intende querelis.

Heroum.

Heroum palmare decus, pernoveris omnem
Causam: terrigenum in mundo sceleratior haud est:
Ergo tuam nobis ipsum deducere ad urnam
Collibuit, tetricè ut quaras cogasq; fateri,
Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ.
Non nostrum est gelidas hominem de volvere ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam.
Sacrifici interea atq; senum furiata corona
Spirantes amplis mendacia cassa palati
Folliculis, alacres glomerabant crimina in unum
Plurima, promentes tales de pectore voces.
Hic est qui varias inter diuortia gentes
Fecit, & elisit nascentia semina pacis.
Hic vetuit Regi censum conferre tributi,
Destruxit tenuiq; araria publica messe.
Hic affectavit caelestis stemmata stirpis.
Pilatus postquam pratoria ad alta reuersus,
Continuo accersit IESVM & sic farier infit.
Quin tu laxatos, curis diffundito vultus,
Ei mihi te toto concredito pectore IESU?
Utrum Iudæi regalia sceptrâ popelli
Rexeris, aut eadem clarus moderaberis olim?
Non ego Iudææ natus de stemmate gentis,
Piebsta, Pontificum venerandus & ordo sacrorum
Te mihi constructo sistunt jam corpora sume.
Dixerat: & Iesus dicto sic dicta reponens.

F 3

Orditur:

Orditur: non hæc venerande negotia Prator
Nota fuere tibi quondam, sed murmure turba
Hæc effutivit retegens malesana loquaci.
Tenuia non posui per mundi climata nostri
Fundamen regni, capit hic non ambitus illud
Si quicquam hinc esset, jam tutelaria circum
Præsidia astarent latus, omni copia adessem,
Pro me quæ obiceret funestis corpora plagis,
Sævaq; laudatam peteret per vulnera mortem.

Sic ait: atq; iterum nectens affamina Prator!

Incipit: inde mea rationis acumine certus
Colligo, regales etiam te postulare fascis.
Huic iterum Christus: regalia sceptraguberno,
Non equidem inficior: namq; hunc delapsus in orbem
Propterea veni, Doctor fulcimina veri
Ut solida immoto fabricans fundamine ponam.
Imbuam et angusto salvantis nectare verbi,
Cæca superstitione mentes quorum occupat atras.
Atq; ideò ipse Deus claro me misit olympo
Omnipotens, calum et terras qui numine complet.
Quilibet incoctum generoso pectus honesto,
Et vero referens, solers mea dicta reponit
Claustra tholo capitis, mentisq; reposita favillis,
Et mox in melius mores mentemq; reponit.

Dixerat: et Prator Iudæa per agmina serpens
Se tulit effundens festinus talia ab ore.

Hic

Hic homo nullo unquam scelere irrequieta nefando
Pectora turbavit, rectaq; sacraria mentis.
Sacrificis verò cordis mendacia claustris
Eruta fecundis laxâ compage vacillant.
IESVM igitur Prator taciturna silentia magnus
Volventem affatus, quin verbis verba reponis?
En instare illos, plura et convolvere in unum
Prava vides, animum nuncq; huc nunc dividere illuc,
Quo se circumagant, quæ prima ac ultima ponant!
Quin attentus ades, vacuasq; huc arrigis aures!
Nam tua res agitur, feriunt te fulmina mota.
Taliter insurgit Index, sic intonat ore.
Innocuum verò tenet insatiabile Iesum
Musandi studium, taciturno et in ore senescit.
Interea rabies uno furere incipit ore.
(Nam protelatum vocum vi ac impete IESVM
Fictarum censent:) doctrina semina falsa
Tristia Iudæi projecit in arva popelli.
Pergit et ad nostras Galilæa à finibus oras.
Prator ubi audiret Galilæa nomina gentis,
Instat, ibi dias utrum venisset in auras?
Atq; ea diversâ penitus dum parte geruntur,
Pilatus misit servis comitantibus ipsum
Herodi, Solymâ qui persistebat in urbe.
Postquam igitur IESVS delatus ad atria Regis,
Expleri nequit, atq; oculos per singula volvit

Herodes,

Herodes, tacitos salienti pectore motus
Concipiens, inis versat sub gaudia fibris.
Postmodò fallaci sinuosa sophismata nexu
Ipsius obtendit menti & dissolvere mandat.
Quèis actis pectus tremulo clangore cachinnis
Finditur allisum, miscens convicia dira,
Vestibus & corpus cinxit candentibus eius,
Et sic dimisit comitantibus undiq; multis.

Ergò concilii postquam conveneret ordo
Insani, tales Pilatus ab ore loquelas
Fudit: cur iterum nostram retulistis ad aulam
Indomiti hunc IESUM? rigida quasi semina litis
Is Phlegethonteo lymphatus dira furore
Sparserit, & populos passim seduxerit istos.
Nonne ego tunc gryphos argutaq; lemmata nectens
Quarere certavi, vestra cum turba cohortis
Aslilit, atq; eius dicta & facta auribus hausit?
Ipse nihil fassus, maculis neq; criminis ullis
Illerit mores, Herodis Iudicis urnam
Et subiit tetrici, terrentis & ora Senatus:
Ergò quid ipsius vitam exturbemus in auras?
Interea Titan celo revocarat ab alio
Exurgens sancti solemnia tempora festi:
Quo stupida juxta Prætor suffragia plebis
Uni captorum manicas atq; arcta levavi
Vinclâ jubet, vitam donans miserescit & ultro.

Ergò

Ergo cum Barabam, quo non immanior alter
Et ferro jugulare viros, facere atq; tumultum,
Servaret vinctum rigidis in carcere loris:
Perpetuoq; feri scelerata insania vulgi
Instaret, solita audiri suffragia plebis.
Concilium iudex denunciat undiq; vulgo,
Et mox accurrunt plateis ex omnibus urbis
Acciti cives, passim late agmina inundant,
Implenturq; via, concursuq; omnia fervent.
Tecta q; magnificis centum subnixa columnis
Iudicis ascendant, circum simul omnia lustrant.

Ipse gravis solio Prætor residere superbo,
Et tali stupidos affari voce popellos.
Consuetudo facit presentis pristina festi,
Squalenti ut quendam dimittam carcere vinctum,
Consulite in medium, penes est sententia solos
Vos, utrum Regem Iudæa per arva celebrem
An Barabam tristi sceleratum carcere solvam?
Sic ait: inde senum rabiosa caterva furentum,
Sacrificiq; animos tacito simulamine vulgi
Irritant, placido ut latronem reddat eorum
Vindicis vultu, furvis ambagibus Orci
Consecret obscuro IESUM sed protinus istum.
Distringens igitur penetrantis fulmina lingua
Præses, apud cunctos scitando querere certat,
Luminis usuram cuiquam protendere charam

G

Debeat,

Debeat *Q*uita transcribere tempus amica?
Assensu unanimi vulgus conspirat in unum,
Obe sepulchrales IESVM devolve sub umbras,
Latronem nobis animo verum asserere iusto.

Pilatus contra, qui servantissimus aequi
In populo fuerat, semper sua dicta retractans,
Atq; volens IESVM dilecta reddere luci
Incipit: immeritum panis excindere Iesum
Quem possum, *Q*uali sub tartara mittere lege?
Qui vita flexum male denormavit agendo
Nunquam, nec dubia capitalia crimina sorte
Admisit, veri vestigia certa secutus.

At cacodamonia vulgus feritate gravatum
Ore venenato stridentia verba reponit,
Ut passis manuum palmis, crurumq; plicatis
Dira execratus figatur ab arbore IESVS.
Hoc cupit hoc ambit, solum suspirat in illud
Dira cohors, acuitq; acreis in corde furoris
Latranti stimulos, undanti *Q*ue presidis ore.
Exin Eumenidum mentem feritate tumescens
Index, *Q*ue nigris obsessus corda Cerastis
Turbida, plagarum vi pertentare cruenta
Incepit IESVM: flagrorum hinc arca sulcis
Corporis intumuit spissa vibice cruenta,
Sanguinis erumpunt libamina pura nigrantis,
Atq; cutem scissam furialia verbera hincant

Artubus

Artubus exhaustis, vivi latamine succi.
Qualiter in sylvis gradibus vestigia opacis
Venator tacitis torquens, dum forte morantem
Eminus aspectat longis palearibus ursum.
Ilic flaventi spaciosa mapalia culmo
Ipse adit, atq; alios hortatibus evocat amplis.
Rustica concurrunt pubes, *Q*ue Martia jactat
Spicula, Amazonia manus est armata securi:
Anxia pone uxor natiq; sequuntur hiantes,
Riphaeiq; canes, armillatiq; molossi.
Aggrediuntur opus, nodosa robore clava
Verberat hic ursum, longis hastilibus alter
Perforat ipsi alvum, mixtim glomerantur in unum
Verbera multa, fluunt stillantia sanguine membra:
Corpus hincalatur, languenti copore vitam
Ursus profundit, flavas *Q*ue mordet arenas.

His actis: Indea nitens mucrone caterva
Nodosis IESVM constrictum corpora loris
Nuda, trahit rigidi pallentem ad Iudicis urnam.
Concilium inde vocat nebulonum triste furentum,
Atq; eius solito corpus velamine vestis
Privat, *Q*ue ascito chlamidis circumdat amictu.
Hinc vario (horrendum) texat spinosa plicatis
Serta, caputq; eius strictim pressando coronat,
Longa armans dextram fluvialis arundine teli.
His completis: prociduo procumbere gestu

G 2

Incipit,

Incipit, Et refugo diuergia libera cursu
Vestigat salis obscuri Momiq; nigrantis.
Incolumis maneat Rabbi Rex inclyte Iudae,
Atq; Dei filii, vastiq; salutifer orbis!
Sic phalerata dolis sese fallacia jaetat!
Sic Christi colaphis vultus contundit Et ora
Insanis, faciem fadans nigrore sacratam!
Sic conquassatos crepitantis arundinis artus
Contundit telo, strident sub verberibus dentes?
Sic quoq; votivo demittere membra precatu
Novit, Et anxiferis diffindere pectora curis.
Interea Praeses sese extra tecta ferebat,
Educens secum, quem spinea tempora circum
Sertum cingebat Iesum, sic farier orsus.
En vobis sisto nulla fuligine mores
Qui ille vit rectos, tristes illudit Et ictus
Terrifica iusto mortis moderamine vita.
Vos capite hunc hominem, diroq; affigite ligno.
Sic volo, sic jubeo, vos iussa cape site nostra.
Sacrifici, Et vulgi rabies lymphata furore
Infremere Et clamare, ut Stentora vincere possent.
Pendeat e ligno palmas expansus in ambas,
Et subsannantis subeat ludibria vulgi.
Sic veneranda ferunt nostrarum momina legum:
Tale Catharma decet fati occumbere acerbis,
Quod sese aetherei natum di stirpe Jehova

Fingit,

Fingit, cumq; ipso parili residere in honore
Hac an nulla putas, lentum tibi corve lacebit?
Tales cum Praesul cognosset mente loquelas:
Ilic vulgi efferuescentia corda vereri
Capit, Et ingressus propero ad Pratoria gressu
Affatu miserum tali compellat IESUM
Fare age te genitrix quam produxit in auras
Nascentem quondam, Et quibus huc advectus ab oris
Veneris? Ille nihil contra: mox verba retractat:
Quin mihi respondens ediffere vera roganti,
Me penes est unum, jam seruitore ligante
Membra tuo horrifico dispersa affigere ligno.
Me penes est unum subtegmen amabile vitae,
Et quos Parca tibi scripsit distendere Elenchos?
Huic iterum fanti sermonem abrumpit IESUS
Exorsus, taciti miranda potentia fati
Iam tibi me statuit, tolerare Et tristia iussit,
Atq; a natura saturum discedere mensa.
Tantum ubi cognorat Praetor: dimittere tutum
Tentabat Christum: caelum mugitibus implet
At Iudaea cohors, tali Et bacchatur hiatu.
Ad stygias caeno vastasq; voragine ripas,
Duro ubi Thyssiphone fontes accincta flagello
Insultans quatit, ac ubi pax Et sulphur inundant,
Hunc nisi devolves, Et discruciaris acerbe.
Mox face supposita fervescens sanguine Et ira

G 3

Ipsa

*Ipse tibi Caesar studio aduersabitur omni.
Quisquis enim sese regali sanguine natum
Fingit, eum Caesar nebulosis deuolet umbris.*

*Dixerat: hinc se extra cum IESU tecta movebat
Prætor, librato cupiens examine litem
Diluere implicitam juxta Lihostrotos oras,
Atq; orsus tales referebat pectore voces.
Cerne coronatum spinis caput, atq; cruentos
Qui manant largè toto de corpore rores.
Huc Acheronteis intempestiuior umbris
Iam Iudæa tuos reflectas luminis hircuos
Pubes, regaliq; tuum cum fasce Monarcham
Aspicias, durâ quem si modo compe de fati
Terribilis vinctum cruciatu extinxero acerbo,
Quis lites tollet, quis prædominabitur aris
Vestris? insandis scelerata propago loquelis
Mox Iudæa crepat, cælum mugitibus implens.
Tolle heu tolle scelus, lignoq; affige cruento.
Ipse suo Caesar sceptro nos iudicat æquus
Antistes Themidos, legum tutela bonarum,
Interea Index stimulos evellere bilis
Grassantis cupiens latranti e pectore vulgi,
Quod petiit iussit, voluit quod, id egit iniquus.
Flumineos latices undanti vase ministri
Expediunt, lavat ipse manus, hæc insuper ore
Addidit: ô populi populi non sanguine nostrum*

Inno-

*Innocuo, at vestrum jam conspurcavero pectus.
Vos sceleris tandem tanti condigna luetis
Supplicia, & nemo tali vos fasce levabit,
Sero & discetis quid distent ara lupinis;
Sic ait: at vulgus malefanz vocis hiatu
Ilicò reclamation, tanti tormenta nefandi
Nos lava & nostri toleremus mente nepotes.
His actis reprobum vinculis exemit acerbis
Latronem, creperi qui dira incendia belli
Moverat, ac homines fato obruncarat iniquo.
At Christum immeritos qui animo patiente vorasset
Invidia morsus, & amara vulnera plage
Horrida insano (scelus o!) indulgit iniquus
Vulgo, mens cuius cæco fuit acta furore.
Ergo ubi nodoso constrictum fune tenerent,
Purpureæ spoliant IESVM velamine palla
Grex Martis: laceraq; indutum vestis amictu
Pondere crux Christum gravis incumbente gravabat.
Ducitur infelix (visu miserum) improba Syren
Desidia, illiusq; comes dilatio mollis
A grege tortorum procul exulat: atra colubris
Cincta caput stygiis Alecto excita cavernis
Gorgoneorum umbrem serpentum jactat atrocem
Tartareasq; faces, animos quassando feroces
Militum, & immiti gliscunt fera pectora bile.
Densantur populorum acies, atq; agmine IESVS
Famineo*

Famineo incedit crebro: mox undiq; planctus
Dissensu magnus vario se tollit ad auras.
In tergum at solvens IESVS caput ora reflexit.
Eheu filiola Solyma regionis alumna
Quid lacrymis, quid vè his guttis humentibus ora
Fadatis? potius quin vos vestrosq; nepotes
Imbris inexhausto cumulatis flumine largi?
Namq; dies taciti volventur cardine fati
Precipiti, quibus has referetis pectore voces.
O fortunatas & supra vota beatas
Laxatis nunquam fatum genuere misellum
Qua membris, quarum nullos atq; ubera quondam
Lactarunt tenui stillante liquamine succi.
Tunc flere incipient, & talibus astra ferire
Visceribus montes, nunc impete nostra solutis
Obruite ingenti capita, imis atq; cavernis
Corpore cum gravido rupti nos cingite colles.
Namq; si in humentis statuuntur cortice ligni
Talia, in arenti vobis qua importuna videbis.

IESVS ita abductus: nigranti corde latrones
Pone duo subeunt mactandi morte cruentâ.
Ergo trahunt ipsum fatalem ad Golgatha sedem,
Utq; sitis flammâs arenti in gutture sedent
Ipsus, exosum miscent (miserabile gustu)
Mordacis potum perfusum copia aceti,
Qui subtile solet subito exsurdare palatum.

Tabifi-

Tabificaq; prius carchestia nigra locusta
Inficiunt, succo dantes pro nobilis una.
Os hinc potantis tristis torquebat amaror;
Ut qui Paoniis medicando claruit herbis,
Si fortè ex herbis agroto fecit amaris
Haustum, non veritus quem dum miser ebibit ore,
Admordet labia expallens, faucesq; coarctat,
Frigidus extillat toto de corpore sudor.
Inde execrati suffixus ab arbore ligni est
Latronum in medio miserandâ clade duorum,
Atq; piis precibus lingualia plectra resolvit,
Contuitus mundi variantia sidera vasti
Poscit opem, & cumulat flagrantibus aethera votis.
Alme Deus sancti qui Numinis omnia torques
Auspicio, tetricus ne iusta examine lancis
Hoc scelus ipsorum libres, oculo vè sequaci
Ad virum reseces: namq; inveteravit amore
Turbida gens tenebrarum, & victa gravedine corda
Caca veteriosa orbis plumbea gaudia quarit.
His actis: titulum Pilatus more recepto
Ternis signabat linguis, & tristia ligni
Tigna super sancti juxta capita alta locabat.
IESVS quem genuit Nazarena circulus urbis,
Inter Indeos regalia sceptrâ gubernans.
Interea famuli furiabili Erinnye Martis
Obsessi, IESV velamina sancta miselli

H

Sum-

Sumpserè, in partes & dissecuere quaternas.
At quia per mediam transibat sumbria pallam
Nulla, sed integrè & plenè contextilis esset,
Miles adhortatur tali se affamine quivis.
Eia agite ò socii penetrantis acumine cultri
Hosce minutatim ne dispecamus amictus:
Sed juxta dubia malefida volumina sortis
Aggrediamur opus, quibus & Rhamnusia vultu
Niti affulgebit, quosq; alea caca juvabit,
Vestimenta ipsi in solidum possessa tenebunt.
IESUM igitur rigidi suspensum stipite ligni
Luctifica servat semen furiale Megara,
Et rabies lustrat vulgi simul omnia visu.
Ipsa parens (eheu) mœstâ comitante sorore,
Stat lachrymans, tristiq; irrorat pectora fletu,
Et Nati abruptos delamentatur amores,
Atq; oculis arumnosum licitantibus ambit.
Diripit ex humeris vestem, plangitq; lacertos,
Sauciat ungue genas, liventia vulnerat ora,
Fletibus hacq; rigat, torpetq; simillima saxo:
Ter conata loqui, ter destitit, orsq; quartò:
Mens tamen ut rediit singultanti incipit ore.
O mea lux, requiesq; mea, ò mea vita, meum cor,
Iste mei senii fultura, domusq; ruentis
Spes, in quo solo stirps inclinata recumbit.
IESVS de ligno prospectans eminus alto,

Agno-

Agnovit matrem, vultus atq; ora sodalis
Astantis, cujus fervente medullitus arsit
Flamma, sollicitisq; ipsos hortatibus implet.
O mulier mulier fatalia respice nati
Tempora: tuq; tua discrimina dispice matris
Discipule ò fibris toto & mihi corde recepte.
Dixerat: & socius mentem intendebat in ipsam
Pervigilem, mœstos removendo è corde dolores,
Et leni affatu marentia corda fovendo.
Qui verò alta crucis post se fastigia linquunt,
Horridulè amentata malis convicia verbis
Exerta ingeminant districto fulmine lingua,
Atq; sacrum sevo sugillant verberè vultum.
Hinc etiam instabili quatiunt compage capillos
Cum capite, ethneas ructantq; ex gutture flammæ.
Va tibi templa suis calida qui accensus ab ira
Destruis emotis penitus concussa columnis.
Tertius & postquam terras irrorat Eous
Sole novo, solido rursus fulcimine nixa
Illa struis: quin nunc etiam te in tuta relegas
Atq; tuos, soboles si summi es vera Monarcha.
Hoc opus hic labor est: cura ista sit unica mentis.
Ilicò rumpe moras, fabricam convelle crucisq;
Duriter allisam terræ, quo liber in orbe
Circumeas, & te veteris trahat orbita vite.
Peonias tenuis hac medicans mortalibus herbas

H 2

Tra-

Tradisti, tabes quos dispalata per artus
Obsedit rigui populata liquamina succi.
Clara Palestina gentis si scepra gubernas,
Christus & es summi soboles veneranda Monarchia,
Nunc age te libertati mox adfere amica.
Si fidei Domino nisu constanter adhaeres.
Intrepido, miseratus opem tibi jam serat agro.
Percita sic rabida se jactat Erinnyos astro
Plebs, & latronem secum seducit iniquum
Sic & anhelantes Mavortia pectora cadem
Follibus insultant Christo stridentibus oris,
Commiscent acrem potum moderamine aceti,
Obtrudunt ipsi certatim, & talia fantur.
Regia Iudaas torques si scepra per oras,
Nunc defende manu bello & te vindice vinctum.
Hinc quoq; latronum mordacis acumine lingua
Unus ei infligens sannas sic stridet ab ore.
Christe Dei Patris nunc si indubitata propago es,
Christe salus hominum, si vera & lucis origo,
Phœbus Iustitia, columen pietatis, asylon
Afflictorum, Erebi domitor, reparator olympi,
Protinus eripiens tecum nos adfere tutos.
Alter at auriculas mordaci lotus aceto
Taliter invehitur socium, & sic pectore fatur.
Vah Phlegethontæo stimulata furore proterva
Pectora, nonne Panomphaum trepidante vereris

Mente:

Mente Deum: panâ namq; es damnatus eadem &
Exactâ certe si rem ratione putemus,
Condigna accipimus nostris tormenta nefandis.
At medius nostrum dictu visq; tremendum
Cogitur innocuo panas has corpore ferre.
Sic ait: affatu Dominumq; appellat amico.
Sis memor, oro, mei vitæ inculpate tenore,
Ad patrias delatus opes, dum nubila condes
Inter celsa caput, cœli & regnabis in aula
Mox defecato pralustris bonore renidens,
Æterno similis Patri cum Flamine sancto.
Huic medium fanti sermonem abrumpit IESUS
Atq; ait: indubitata tibi & nullo illita fuco
Verba cano; Paradysæ laquearia sedis
Me comite intrabis prius, esseda Phœbus ad undas
Hesperias flectat fessis quàm lenta veredis.
Hac fatus dictis mœrentia pectora mulsit
Ipsius, vinctum nec spe solatus inani est.
Forsan erat mediata dies & Apollinis Æthon
Declivem in lucem rutili splendore Pyropi
Sudabat; multis (horrendum) nubibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum,
Sol caput obscurâ nitidum ferrugine texit.
Strata jacent humili palpantia corda pavore:
Seva coruscantis aum armamentaria cœli
Horrissono reclusa fragore vagantia spargunt

H. 3.

Telas.

Tela, boatq; citis disceptus cursibus aër.
Obscura donec tenebrosa crepuscula noctis
E caelo ruerent, somni cum munere dulcis.
Extenta IESVS solvens ceruice meatus
Faucis, olympiacos feriebat gutture tractus
Robusto ac firmo: Eli Eli lama Azaphtani
Ne nos in tanto contemne oblitus agone
Rerum, sed facili tu suggere mente iuvamen.
Te penes unum etenim vis est ac norma iuvandi.
His fex auditis circumglomerata popelli
Infremere, & tali se compellare boatu.
Ecce manus Heliam ferat ut sibi voce precatur
Supplice, sed remanet, nunquam veniet vè vocatus.

Interea completa forent ut cuncta vocabat
Eligno IESVS: siccis mea pectora fibris
Arent: deproperat cursu pernixe minister,
Spongia & intincta in pateram mordacis aceti,
Discupit arentis sedare incendia faucis,
Et tali reliquos affatur voce sodales.

Quilibet advertat num quando Propheta vocatus
Accurrat, tantisq; malis hunc subleuet agrum.
IESVS at epotans refugas a credine lymphas
Infit: nostrorum hac erit ultima pausa malorum:
Deinde iterum cum voce vagum suspexit olympum:
Ad nos alme Deus mitis tua lumina flectas,
Nosq; salutiferâ collustres desuper aurd,

Flatus

Flatus ubi aethereas tandem meus ibit in auras,
Nosq; impugnavit fati vis saeva, relaxans
Spiramenta animae, solvensq; ergastula carnis:
Sit meus ille tibi commissus spiritus, infer
Hunc astris, gremioq; tuo Pater alme reconde.
Dixerat: & raris turbatus vocibus hiscit,
Atq; oculos tollit mediâ jam morte natantes,
Flatus it inq; humeros ceruix collapsa recumbit.
Illi dura quies oculos, verissimus urget
Somnus, & in binas clauduntur lumina noctes.

His ita perfectis: partes properanter abibant
In binas templi velamina rupta sacrati,
Terraq; visceribus penitus concussa solutis
Cum gravido late tremefecit corpore sese,
Duriter, abruptis gemitumq; dedere cavernis
Petra: disiecto patefacta sepulchraq; cippo,
Multaq; sanctorum congesta ex aggere terra
Corpora prodibant, multorum visaq; ocellis.

Exin centurio latus astans quiq; tegebat
Eius: luminibus cum talia signa videret
Intentis, stupuit, gelidusq; per ima cucurrit
Ipsi membra tremor, summo ac encemia laudum
Intemerata dedit claro Pxane Iehova,
Ex imo tales erumpens pectore voces.
Certè homo traduxit nullo simulamine mores
Integros, prolesq; est indubitata Iehova.

Quin

Quin etiam reliqui numerosa caterua popelli,
Lumine qua arrecto spectacula contigit ista,
Duriter allidens trepidantia pectora pugno
Deficiente subit tecti penetralia flatu.
Invicti at nisu consanguinitate propinqui
Intrepido perstant, tantis exterrita fati
Feminea cedit nec conglomerata cohortis
Turba, Palestinis Galilæa ex finibus ora.
Cui Maria astatat tristissima Magdalene,
Natorum & genitrix Zebedæi, & famina Iosæ
Servantes studio Christi solerte cadaver.
Indei interea pro consuetudine festi
Solennis sese sistunt ad Iudicis urnam,
Obnixiq; omnes conjunctâ voce precantur,
Expict ut templi dira sacraria cadis
Sanguine, defunctosq; crucis cum mole refigat,
Tradat & effractâ crurum compagine terra.
Sic fati: Prætor diplomate publicat acta:
Militiæ accelerare acies, collidere crura
Fractaq; latronum, IESV sed parcere membris,
Postquam sanguis hebet, frigentq; in corpore vires
Ipsius effata, flatus neq; proruit ore.
Unus at infidis genuit quem cantibus horrens
Caucasus, ingentem robustis viribus hastam
In latus & IESV curvam compagibus alvum
Contorsit, fluxit permisto & sanguine lymphæ.

His

His actis: fortunarum successibus auctus
Ioseph, & vita maculis non oblitus ullis
Publica dispensans venerandi jura senatus,
Pectoris intrepido Pilati limina nisu
Iudicis ingreditur, fervensq; precatur IESV
Functa crucis tollat destructa ut corpora tigno.
Namq; erat ipsius sociorum ex agmine magna
Portio, discupiens æterna gaudia vite
Sortiri, & superas sedes sine fine beatas.
Mirariat Index, sensusq; huc volvere & illuc,
Spiritus humana propere quod corpora carnis
Dimittens, cali vacuas abiisset in auras.
Dein jubet excidi crucis alta statumina fracta,
Iosepho reddi Christi, exangue cadaver.

Ipsæ precum compos partes dilaxat in omnes
Curas, Sidonia ut prætexat vestis amictu
Corpus, & ex omni tutetur parte revinctum.
Additur huic longis clarus Nicodemus ab oris
Qui venit, cæcis cum nox circumdaret alis
Terras, Assyrios depromens largus odores,
Et Cilicum spicas, Pharia quoq; gramina messis.
Ergo de voto mentem pietatis ab æstro
Perculsi, pulchrâ contectum sindone Christi
Conspargunt corpus redolentis copiâ amomi.
Dein horti quoniam tempe viridantia amœni
Undiq; cincta crucis fundamina sancta tenebant,

I

Asidua

*A*siduo Ioseph busti monumenta ligone
Excidit petra collisis undiq; frustis
In medio hortorum, quæ corpora nulla tenebant.
Et socio sanctum Christi conamine corpus
Intulit in terram, merito & tumulavit honore.
Sic abiit: totos ecce agmina crebra per hortos
Alterius sexus densantur, lumina sparsa
Et passim jaciunt, ut humata cadavera IESU
Inveniant, sedemq; beent sacri omine voti.
Grataq; balsameo expediunt unguenta liquore,
Sabbata sacratio & celebrant solemnia ritu
Omni opere abjecto, legis pro momine sancta.
Postera cum roseo vestiret lumine terras
Tithoni croceum linguens aurora cubile,
Sacrifici atq; acies Pharisæa reproba gentis
Confluit ad summi veneranda palatia Regis,
Vocibus his rabidos dissolvens oris hiatus,
Nunc age prelustri resplendens fasce Monarcha
Adsis optatus, preculas tu pro vehe nostras,
Marmoreaq; jube convexa cacumina tumbæ
Muniri, loci versuto pectoris astu
Ne furentur eum, voces spargantq; per ora
Ambiguas vulgi, ipsum surrexisse statuto
Tempore, funestiq; serant incendia belli.
Namq; recordamur falso quæ audaculus ore
Undiq; jactavit, cum terna retexerit orbem

Lux

*L*ux radiis, anima reditu sub corporis usum
Me postluminio dias revocabo sub auras.
His fari Iudex: vobis sint talia cura,
Vos facite, & circo munite sepulchra minaci.
Illi discedunt Regis non jussa morati,
Immensi agglomerant quadrata volumina saxi,
Et tumuli sedem fido custode coronant.

Epilogus εν κτός.

O Jova de triplici Deus ablegate senatu,
Christe triumphator stygii qui colla Draconis
Calce teris, viresq; domas flammantis Abyss.
Hæreseôn domitor, verbiq; fidelis IESU
Interpres, purum templis donare nitorem
Qui potes, incestos verbi caelestis abusus
Tollere, purgatas vero decorare & honore
Aras, ut cessent veteris contagia ferli.
Tu nobis adsis Doctor, populumq; sonore
Veridicæ linguæ doceas, labentibus annis
Ut tibi per varias constanter adhareat uni
Sortes, & jejuna tui fastidia verbi
Ponat, nec Sathana seclretur somnia falsi.
IESU supremi præses mitissime cali
Dilargire tua, quo sacra cibaria carnis,
(Spicula pro nobis subit quæ tristia fati)
Nos pascant, superis cali domibusq; reponant.
Daiq; tui possint libamina blanda cruoris

I 2

In

In nobis vivacibus ebullire fluentis.
O IESU igniti vivax exemplar amoris
Intemerata fac ut flammato pectore adunet
Copula nos, quali tu nos complexus amore es.
Servitia hinc nobis animis & mutua promptis
Præstemus, fratrum quoque tristia damna levemus.
Da scelerum exosis cor luctificabile curis,
Parce nec irarum totas effunde quadrigas,
Omne nefas remove, clemensque in vasta profundi
Abde maris, penitusque oblitamēte revelle.
Ne nos uramur nigrantis sulphure flamma,
Quam Phlegethonteis fornacibus æstus anhelat.
Christe tibi fuimus tantorum culpa malorum
Mortales, & nos pugnum & convicia Christe
Intulimus tibi, crudeli tua verberare terga
Tractantes, sanctis hinc rhamnea sarta capillis
Hæserunt: & nos tibi mortua vina furentes
Tradidimus, tristi terebrantes cuspide plantas.
O pietas! ô alma fides! ô fervidus ardor!
Quod tibi collibuit pro nostris tanta nefandis
Ferre, & nos miseros patrio transcribere olympo.
Effice deliteat constans sub pectore virtus
Nostris, dum furiosa in nos sua sibiacula vibrant
Fata, ferox strepitus Sathanas vanosque minacesque
Excitat, & faculis amburit corda dolorum.
Vulnera tunc animis repetamus & horrida fata
Christe

Christe tua, & curis nostra anxia corda levemus.
Sic tecum in superi spaciōsa habitacula recepti
Cali, latitia constanti sorte fruemur.
Hoc precor esse sinat caelesti Numine firmum
Ætherus Pater, & Natus, Flamenque sacratum.

F I N I S.

Sphalmata quæ obiter irrepererunt
sic corrigantur:

Litera B. facie 2. pro Erynnie lege Erinnye.

Ibidem pro contotis lege contortis.

Litera C. pro quemam lege quemnam.

Ibidem pro strips lege stirps.

Litera C. 2. fac: alt: pro dinasta lege Dynasta.

Litera C. 4. fac: alt: pro nuc lege nunc.

Litera E. pro propposui lege proposui.

Litera F. 2. pro furba lege turba.

Litera F. 4. fac: alt: pro conveneret l. convenerat.

Cætera bene volens lector suo iudicio facile corriget.



